Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



13.

Hieronymus in Regula Monachorum ep. 22 de ad Eustochium de Virg. de Anachoretis loquens: Hi, inquit, exierunt de cœnobio, et excepto pane, et sale, ad deserta nihil proferunt amplius. Ipsius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, et ut ad superiora conscendam; princeps Joannes Baptista. Et Comm. in Marc. I: Vox clamantis in deserto, et reliqua. Vox est Joannes: de qua voce clamabat Dominus Jesus ad Judæos: quod inter natos mulierum major illo esset nemo. Et in Matt. XI: Angelum autem hic dici Joannem non putemus naturæ societate, sed officii dignitate: id est, nuntium, quod venturum Dominum nuntiarit. Amen dico vobis: non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Inter natos, inquit, mulierum. His ergo præfertur hominibus, qui de mulieribus nati sunt, et de concubitu viri, et non ei, qui est natus ex Virgine et Spiritu sancto.

Augustinus in Ps. XXIX: Quisquis Joanne major est, non tantum homo, sed Deus est. Et serm. 2 de Joanne: Sanctus Joannes quidquid petierimus, poterit obtinere, si nos festivitatem suam pacificos, sobrios, castos, absque ullo turpiloquio cognoverit celebrare. Et serm. 3 de S. Joanne: Joannes major homine, par angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, nuntius filii, signifer superni Regis, peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio gentium, et (ut proprie dicam) legis et gratiæ fibula.

Chrysologus serm. 89 de S. Joanne: Angelus generatus in terra. Et serm. 127: Joannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, forma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ stulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, major homine, par angelis, legis summa, evangelii sanctio,

an s. 4 de S. Joan.?

/ Precellit cæteros

/ 89